



Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXVI. Flagitiorum grauitate morti damnatus iuuenis, cuius magna erga Virginem obseruantia extiterat, dum ad suffere[n]dum supplicium deduceretur, ab ipsius mortalium patronae picta ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXXVI.

Flagitiorum gravitate morti damnatus iuuenis, cuius magna erga Virginem observantia extiterat, dum ad sufferendum supplicium deduceretur, ab ipsius mortalium patronae picta imagine comprehensus illinc minimè abstrahi poterat.

Nobilissimae matronae unicus erat filius: eum, cum excessisset ex ephebis decreuerat collocare apud principem; cui etiam maritus interuenerat. Hoc ualde studebat, ut ad ea ille animam adiungeret, & in ijs solers, quae liberali adolescente digna sunt, uerè fieret. sedula mater, ante quam filius recederet, ardentissimis precibus eum egit; eumque obtestata est; ut quod ipsa mandatum dedisset, nunquam finiret ex animo effluere. Se ferret, quae mater uoluisset, curaturum promisit. Itaque ipsa hunc sermonem habere institit: ò fili dulcissime, hoc est, quod in rem tuam est, & quod potissimum te uelim; ut quotidie purè, ac sanctè Virginem Angelica salutatione impertias; eaque salutata haec etiam uerba addas: ò Virgo sanctissima, esto mihi adiutrix in hora mortis. Abiens filius nullum intermittebat diè, quin hoc diligenter praestaret. Verum incautus, ac rerum imperitus, malorum consuetudine, ac familiaritate utens, breui in illa prouincia flagitiis, ualde nobilitatus est. Ac licèt saepius à principe amanter monitus, & deinde acriter etiam accusatus fuisset; nondum tamen ullum uitae suae modum ponere statuerat. Eum ille

ille dimisit. Iuuenis ubi discessit, breui latronum dux factus est; in quo uitae perditio genere cum diu detulisset, tandem in carcerem fuit compactus. Damnum autem ultimum supplicium sequi oportebat. Ibi in carcere diligenter infelix expendere; quam atrociam scelera perpetrasset; quam genere suo indignam admisisset; quam turpem familiae suae notam inuisisset; quamq. infelicissimae parenti grauem inieciisset curam. Dum acetum casum, & miseriam, in qua coniectus erat, lugeret, à formosissimo iuvene conuenitur; futurum, ille pollicetur, ut illi inclinaculis extrudatur; ac facile reperat, qui se expediat illis aerumnis: modo impetrata sua facere paratus esset. Eam ob rem laetum, & hilarem se ipse iuuenis ostendit, ei morem gesturus. caecodaemon igitur qui ceperat iuuenis uultum ac gestum, se ipsum indicat; à misero postulans, ut Christum, Ecclesiaeq. sacrosanctae ritus, & instituta abominetur. Nulla infelix fuit in mora, scelestiq. uoluntati repente annuit. At nefarius bonorum extirpator, generis hominum carnifex, eundem coepit hortari, ut Virginem sanctissimam, & quaecumq. ab ea beneficia acceperat, execraretur. Ipse, qui in memoria quicquid a matre iussum fuerat, habebat, ut quotidie summa religione Virginem sanctè coleret; non modò non impio obsequi decreuit, sed etiam ipsam misericordiae reginam rogauit, ut sibi opem afferret. Quinetiam denuo se in eius clientelam commisit. Id cum minimè ferre posset ille, effugit. Tunc iuuenis, qui à Christo defecerat, ex intimo corde lacrymas hauriens & in coelum suspiciens, mentem ad Virginem ipsam, à qua nunquam recedere decreuerat, erexit.

-imba

Eandem

Eandem deinde rogauit, ne se derelictum, ac summè miserum respicere dedignaretur. Neq. uerò cupiebat, ut à uinculis, in quae coniectus erat, solueretur, sed ut quod grauiter à se peccatum fuerat, dimitteretur infinita illa clementia, quae apertissima est omnib. Tota nocte lacrymis, & obsecrationib. consumpta, nunquam somnum uiderat; totumq. illud tēpus cum luctu, ac moerore fuerat productum. Vbi illuxit, protulit peccata sua omnia pio sacerdoti. Demū condemnatus, dū ad supplicij locum perducebatur, nullum finem Virginis obsecrandae faciebat: ut cū expiraret, se constantem posset praebere. populo frequentissimo septus propè ipsius Reginae aediculam transiens, ità exclamare incepit: ò miserorum aduocata, ò derelictorum patrona, ne me deseras, tuam mihi fidem praesta, re mihi opitulare. Dictu res mirabilis. pictura ipsa, Dei sacratissimae matris imago, omniū in conspectu apertè ipsum salutauit. reus illius pedes osculari, & ante illos se prouoluere mira pietate cupiebat. id ei libentissimè, permissum est. Quapropter ubi propiùs accessit, ipsa alterum brachiū, quod post terga reuinctum erat, dissoluit, coelestemq. manum mortali manui iungēs reū arctissimè tenebat. Quamuis lictores, quantum possent, ac summa ope eū illinc abducere niterentur, non tamen à Virgine abstrahi potuit. Tam insigni miraculo factum est, ut ille, dimissa noxia uno omnium ore fuerit absolutus. Palam igitur omnib. aperuit quod à matre bene praeceptum fuerat, dixitq., à se in toto uitae suae cursu Virginem quotidie salutatam, eamq. obsecratam fuisse, ut, dum mors immineret, sibi auxilium afferret. Ea res

admi-

admi-

admirabili laetitia populum expleuit, omnes ad coe-
 lū manus tollētes, huius immortalis reginae summā
 pietatem, ac singularem misericordiam summis pro-
 sequi laudibus. Iuuenis uerò in patriā rediens, quan-
 diu postea uixit, sanctissimae suae liberatrici sedulā
 operam dedit; eius cultum nunquam deferens.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

*Sacro sanctae Virginis iussu, à D. Mercurio, Iulianus Imp.
 facuissimus Christianorum hostis, interficitur; Basiliq. ciuitas
 ex eius furore, & impetu elabatur.*

DV M contra Persas bellum Iulianus Imp. su-
 sciperet; Christianorum sanguinem Idolis
 uouit, si pedem domum uictor referens, de
 hostib. triumphum egisset. Dum in Persiam iter ha-
 beret, cum Basilio, qui ei obuiam fortè concurrerat,
 hunc habuit sermonem: Ciuitatem tuam, Basili, de-
 bellatis Persis, funditus euellere, in animum induxi;
 postquam cum populo tuo, nūquam adduci potuisti,
 ut Idolis meis honorem haberes. In urbem ubi redijt
 Basilius, ordine omnia, quae tyrannus dixerat, uniuersis
 ciuib. aperuit. Ut autem tanto periculo obuiā ire-
 tur, edixit, ut omnes ab infantib., usq. ad natu gran-
 diores, & eos, qui exacta iam aetate erant, una in Di-
 didimum montem, in quo Virginis templum erat, con-
 scenderent; & ibi, post tridui ieiunium, à Deo petere-
 tur, ut impij Iuliani uota aliorum caderent. Sancti
 uiri consilio statim ad rem ipsam collato, dum se om-
 nes inedia, & precatione exercebant; ipse animo, &

Hh mente